BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

C.34.1.5

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

R4-1-17

# MORES, LEGES, ET RITVS OMNIVM GENTIVM,

PER

IOANNEM BOEMVM

*Aubanum, Teutonicum, ex multis clarißimis rerum Scriptoribus collecti.*

*

Cum Indice locupletißimo.

APVD SEB. GRYPHIVM
LVGVDVNI,
1541.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

# HENDECASYLLABON
## AD LECTOREM.

Non ſic Herodotum, haud quidem Strabonem,
Haud Trogum, neq; Plinium, haud Solinum,
Scriptorem haud Siculum, haud ſenem Beroſum:
Facundis aliquem nec ex nouellis,
Non Papamq; Pium, Sabellicumq;,
De rebus breuius fideliusq;,
His tractaſſe. Videre nationes
Hîc omnes Aſiæ queas uagantes,
Perſas atq; Arabes, Scythas & Indos,
Parthos, Aßyrios, Syrosq;, Medos,
Europæ pariter Gethas, Dacosq;,
Thraces, Sauromatasq;, Pannonesq;,
Germanos, Italos, Gallos, Iberos,
Hybernos quoq; Cantabros, Britannos,
Et gentes titulo ſub Aphricano,
Pœnos, Aethiopes, & incolentes
Aegyptum, & Libyæ aridas arenas,
Nonnullasq; per inſulas morantes:
Turcarum inſuper atq; Tartarorum
Sectas, Chriſtigenumq; nationum,
Qui late dominantur, & gubernant
Nunc regna, Imperia, atque principatus
Mundum prædialidè per uniuerſum.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

# SIGISMVNDO GRYM, AVGVSTANO, OPTI MARVM ARTIVM ET MEDI- cinæ eximio Doctori, Ioannes Boëmus Aubanus Teutonicus s.

COLLATVRVS me ad celeberrimum hunc morem, quo omnes, qui unquam à se scriptos libros in lucem dedere, unum aut plures è præstantioribus uiris eligere solent, quibus uelut defensoribus patronis, illos adscribant, dedicentq; : Cum huc atq; illuc multum diuq; circunspicerem, cui & ego lucubrationes hasce meas de Gētium Moribus, ac earundem uiuendi ratione, nominatim dedicare, & ad propugnandum tradere cumprimis uelim, cui acceptas fore confiderem : Nemo mihi te, splendidissime Doctor, cum dignior, tum aptior occurrit: non eò solum, quòd eas sub expensis tuis, tuoq; sub mūdissimo castigatissimoq; literario prælo impressurus, laudem (quantulacunq; mihi unquam à grato & humano lectore pro habitis laboribus cesserit) communem mecum habiturus sis: uerùm quòd te materia ea haud mediocriter delectari notanter cognoui, cum anno superiori similes libellos duos, unum de Septentrionalibus Gentibus, cuius autor Matthias de Michau, alium de Meridionalibus cuiusdam Ludouici de Bononia, impresseris: nuéq; horum præsentem in Germanicā linguam



BIBLIOTECA COMUNALE DI ENA

noſtram transferre interpretariq; adhortatus ſis. Et hoc digniſsimè: quippe, qui optimè diu anteà hæc atq; alia, quæ de externis nationibus memorantur, omnia cognoris, ſciasq;: licet non ex leuibus circulatoribus, non ex uagis mendicis, qui ut uulgò admiratiores, acceptioresq; ſint, adeò neſandiſsimè abſq; omni uerecundia plerunque mentiuntur: ut non ipſis modò non fides etiã minima habeatur, uerùm omnibus iuxtà, qui aliquid de his aut ſcribunt, aut recitant: Sed ex grauium fide digniſsimorũ autorum ſcriptis, quibus perdius & pernox tu quoq;, quandocunque à medicis curis uacare datur, operam ſummam impendis. Atque ex hinc homini in publica præſertim adminiſtratione conſtituto nihil utilius, nihil glorioſius iucundiusq; magis, quàm ueraciter aut legẽdo aut peregrinando cognoſcere, qua religione, quibus moribus, qua regiminis forma, quibus legibus, inſtitutisq; aliæ per orbem gentes uitam traducant. Quod ita compertum eſt, ut illis, qui extra patrios agros ad ſecundum uix lapidem unquam peruenerint, quiq; ingenuorum morum & artium in iuuentute parum aut nihil perceperint, quamuis naturæ ſuæ bonitate opulenti, facundi & ſolertes ſatis ſuperq; in patriæ ſinu populos moderentur & urbes: tantum tamen felicitatis adimatur, ut propemodum pro deſpicato quicquid dicant faciantq;, ab omnibus habeatur. E diuerſo alijs, qui peregrè aliquando profecti, ſub fidelibus & eruditis præceptoribus in claris probeq; inſtitutis urbibus egregia multa uiderint didicerintq;, tantum gloriæ ex ea re adipiſcatur, ut nihil ab eis attentetur, nihil fiat, quod non ſecus, quàm à diuiniſsimo ora-

culo

culo præceptum alacriter non omnes amplectantur, cunctisq; non ſummè placeat. Quapropter ornatiſſime Sigiſmunde ſcripta hæc noſtra, quæ ex multis præclariſſimis rerum ſcriptoribus, iam triennio fermè non ſine maximis laboribus in librum iſtum collegi, congeſſi, & quantum ingenio atque induſtria potui, augmentaui, à me obuijs manibus & ſerena fronte ſuſcipe, ſuſceptaq; tanta diligentia, tanta fidelitate perlege, perluſtra, examina, ab omniq; macula expurga: ut nihil uſquam prætermittatur, nihil præterfluat, quod ſecum minutuli quippiam ſubripiat inuoluatq;, quod poſtea à lynceis uitiligatorum obſtrigilatorumq; oculis inuentum, ſphingeis unguibus enodatum, uipereis linguis compunctum, exibilatumq;, in famæ & nominis noſtrorum amborum diſpendium, atq; obfuſcationem in omnibus triuijs pro fabula iactetur. Quod ubi diligẽtiſſimè perfeceris, ſub dædaleo tuo literario prælo accuratiſſimè imprimere curabis. Vale.



BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

# IO. BOEMI AVBANI TEVTONICI AD LECTOREM

*

## PRAEFATIO.

Autores quos in hoc opere sequitur.

MEMORABILIORES gentium mores, ritus, leges, locorumq; ubi degũt situs, quos Historiæ pater Herodotus, Diodorus Siculus, Berosus, Strabo, Solinus, Trogus Pompeius, Ptolemæus, Plinius, Cornelius Tacitus, Dionysius Apher, Pomponius Mela, Cæsar, Iosephus: & ex recentioribus nonnulli, Vincentius, Aeneas Syluius: qui postea Pij secundi Pontificis maximi nomen tulit: Antonius Sabellicus, Ioannes Nauclerus, Ambrosius Calepinus, Nicolaus Perottus in Cornucopijs: alijq; permulti clarißimi rerum scriptores in Commentarijs suis diffusè & ceu per partes celebrauêre: ut in uno libro conscriptos haberes, facileq; quando usus deposceret inuenires, historiarum lector cultorq; studiosißime, per ocium succisiuis horis undique conquisiui, collegi, & in diarium hunc conscripsi diligessi: non spe lucri ullius, non popularis auræ ambitione: uerumenimuerò tam libero & planè otioso studio, quàm rei ipsius mira dulcedine atque utilitate. Congessi inquam tum ueteres, tum recentes, bonos item & malos,

Causa quę eum ad scribendum impulerit.

Libelli farrago.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA